



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

II. Gerochus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

rerum gestarum mentione facta. Exstat hic Gundackari liber & labor Eystadij in codice manuscripto, quem Pontificale nominant. Quæ ultra hæc tempora sunt, à continuatoribus Gundackari sunt; quilibet enim ex successoribus operam dedit, ut Antecessoris sui imago cum brevicula vitæ historia in librum illum referretur, seriesque Præsulum perpetuo tenore vsq; ad nostra fermè tempora deducta est; unde etiam ea, quæ ad propositum nostrum facere videbuntur, depromemus.

Vidit Gundackari Lucubratiunculam Anonymus quidam Hasenrietenensis, quem calamo exaratum penes me habeo; qui Gundackari familiaris fuit, vitamque suam ultra vitam illius produxit; deque Episcopis quibusdam nonnulla licetis mandavit, quæ alibi vix inuenias. Post S. Willibaldi felicem ad superos transitum, secundus Episcopus Eystettenensis creatur.

II. Gerochus.

Geroch inde pius pascebat ovile secundus. Episcopatum adeptus est eo anno, quo S. Willibaldus ad meliorem vitam migravit, nempe DCC. XXCI. vel sequenti, ut habet Bruschanus Catalogus. sedit XX. annis. de quo isthæc Anonymus: S. Willibaldo Geroch filiolus in baptismo, successit, vir clarus natalibus, multarum possessionum, quas patri charissimo & patrono sanctissimo contradidit. Hic calicem illum aureum, quem nosti, cuius magnitudinis sit, ex optimo auro fieri iussit, & veterem illam Evangeliorum capsam ex electro & auro purissimo gemmisque pretiosis parari fecit: altare quoque aureum liberaliter inchoavit, quod postea successorum devotio, pro ut hodie est, perpoliuit.

Scribit

Numi ad episcopos eystetten-
ses ubi amant.
1. S. Willibaldus.
In quo plura in dicitur, quæ
satis multa de illo Philippon
in suo Commentario, et
nos in Observationibus.

Scribit Adelbertus Abbas Heidenheimensis in commentariolo de eodem Monasterio, sub hoc Gercho Heidenheimense Monasterium, ab ordine S. Benedicti ibidem per S. Wunibaldum plantato, ad canonicos sæculares translatum esse. Quod Anonymus Hasenrietanus Erchenbaldo adscribit, vt infra videbis. Obiit Gerochus IV. Nonas, hoc est, secundo die Februarij anno Redéptoris DCCC. II. In Calendario seu Necrologio, quod Pontificali Eystettensi insertum est, notatur ad VII. diem Iulij. *Irmengart obiit, mater Episcopi. G. quod interpretor Gerochi, nisi quis malit Gundackari.*

III. Aganus seu Agannus.

Tertius est Aganus cælesti dogmate plenus.

Præfuit annis XII. X. vt habet Gundackarus, non vt Bruschanus Catalogus X. VII. Excessit ex hac vita. VIII. Idus, hoc est, VI. die Nouembris.

IV. Adalungus seu Adelungus.

Laudibus eximiis Adalung micat ordine quartus.

Ad Episcopi officium euectus anno Christi DCCC. XIX. Præfuit annis XXII. Finem viuendi simul & gregem Dominicum pascendi fecit VIII. Kal. Augusti, hoc est, die S. Iacobi Apostoli.

V. Altinus seu Altunus.

Altine quos pastor sequitur, virtutis amator.

Iniit Pontificatum anno DCCC. XLI. tenuitq; annis XVII. Mortuus VIII. Kal. Martij, hoc est, XXII. die Februarij. Consensu & auctoritate huius Præsulis, leuatum est ex terra corpus B. Solæ Abbatis, de quo hæc Ermenoldus Diaconus in S. Solæ vita Tom. IV.